

erit dies unus tanquam mille anni, et mille anni, tanquam dies una, unde scit unusquisque utrum diebus an mensibus, an forte etiam et annis per illum ignem sit transiturus? Et qui modo nec unum digitum suum in ignem vult mittere, timeat necesse est, vel tunc parvo tempore cruciari. » Quod si igitur tanto auctore tam graves sunt illæ pœnæ, quomodo propinqui possunt suorum oblivisci defunctorum, quominus eis suppetias ferant; cum valde sit verisimile absque purgatorio paucas ad cœlum evolare animas? Et quomodo non et alii suas omnes conjungunt vires, ut suos in cœlo cohæredes futuros e pœnis illis eripiant?

III. Suadet eorum dignitas. Sunt enim omnes, jam innocentes, ab omni peccati labe abstersi, (nisi quod solus pœnæ reatus adhuc exsolvendus eos detinet) omnes gratia Dei condecorati et in ea stabiliti, omnes filii Dei et hæredes regni cœlestis: tametsi nunc in statu calamitoso, miseria, egestate et vinculis detenti sunt. Quis autem talibus non compatiatur? Non subveniat? Sane dum Alphonsus II, rex Neapolitanus e navi aliquando in mare prolapsus fuisset, mox e remigibus unus in mare desiliit, et presenti vitæ suo periculo regem eripuit ac salvavit; propter quod et annum stipendium a rege accepit, uti refert P. Chavasius, I. IV. de prud. c. IV. Defuncti reges in purgatorio plusquam terreni sunt: at vero in tempestuosum mare, in sævum incendium delapsi sunt. Quis tam nobiles creaturas excipere non curet? Non laboret? Quantum inde lucrum eripiendi expectandum erit? Refert B. Petrus Damiani cardinalis in epist. ad Beatricem ducissam, lib. VII. epist. XIV. Guillam marchionissam per Italiam iter facientem vidisse in transitu ædem sacram et interrogasse, quo nomine ea appellatur. Responsum est appellari eam vulgo, ad Sanctam Mariam pauperem. Hoc audito indignata nimis et quasi nauseando fastidians: *Absit, inquit, ut eam vocemus pauperem, quæ cœlestis gloriæ genuit largitorem.* Absit, inquam, ut in terra pauperis sit digna vocabulo, quæ super angelos elevata divitias possidet immortales in cœlo. Ac protinus intulit: *Est ne mei juris hic ulla possessio?* Cui responsum est: Est, quod haberet ibi villam in novem mansiones divisam. *Hanc, ait, continuo Ecclesia ista possideat, eamque de cætero nemo pauperem appellare præsumat.* Sic ille, jam qui in purgatorio detenti sunt, filii Dei et reges cœli sunt pauperes tamen interim et ærumnosi, omnique subsidio destituti sunt. Unde vulgo appellantur pauperes animæ fideles. At quis ferat filios Dei, reges cœli, pauperes in terra vocari? Quis non indigne suscipiat? Quis non e

pauperie eximere et hæreditati suæ pupillos restituere conetur? Sane quo quis calamitosior unaque inculpabilior est, eo dignior beneficio et subsidio est, eoque melius opera impensa collocatur: quemadmodum et semen in meliorem agrum sparsum majorem fructum affert. Atqui purgantes animæ et sanctæ omnes sunt, et maxime ærumnosæ præ cæteris: igitur miseria in hac vita adhuc degentibus auxilio nostro dignæ.

IV. Suadet propinquitas et amicitia, qua eis conjuncti eramus, cum viverent. Sunt enim partim parentes et majores, partim fratres et sorores, partim boni amici, omnes denique commembra Ecclesiæ unius et consortes fidei. Jam si patiente membro uno compatiuntur reliqua et juvare illud conantur: cur non idem fiat inter nos? Sunt enim illi omnes fide, saltem spe et charitate Ecclesiæ nostræ uniti. Certe cum Josephus in cisternam a fratribus dimissus fuisset, Judas non difficile illis persuasit, ut fraterculum contraherent (licet odio ejus adhuc æstuantem) unico illo verbo *Frater enim et caro nostra caro est*, Gen. XXXVII. Acquieverunt enim mox sermoni ejus, et extraxerunt eum. Animæ purgantes caro nostra et fratres nostri sunt; ne igitur deseramus eos in cisterna purgatorii ne una cum fratribus illis eadem aliquando calamitate pressi decere cogamur: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius dum deprecaretur nos, et non audivimus; idcirco venit super nos ista tribulatio*, Gen. XLII. Non contingit similis propinquorum in defunctos suos perversitas, qua eos velut alterum Joseph, jam moribundum despoliant vestibus suis, facultatibus inquam, quibus sive in pauperes distributis sive ad sacrificia pro se facienda destinatis, poterant se redimere a pœnis purgatorii: adeoque nudatos deponunt in sepulcrum seu potius in purgatorium. Quæretur jam, an isti tam iniqui et crudeles fratres non obligentur summo jure ad eripiendum defunctos suos, quos per tantum nefas demisere in lacum illum. Sed esto, nulla nostra culpa inciderunt in purgatorium; nihil suadet æquitas et fraterna charitas, ut illos modis omnibus liberare contendamus. Cogitate Moysis sororem Mariam: quando ea lepram incurrit ob quadam invidiolam conceptam in uxorem fratris; ideoque jure publico separata est a castris in locum solitarium leprosis consignatum, quid egit immensus ille exercitus Hebræorum? Per integròs septem dies *populus non est motus de loco suo, donec revocata est Maria*, Num. XII. quasi non cessarint pro ea orare, velut pro sorore ducis sui, suaque omnium quasi

matre donec sanam eam reciperent. Obtinuerunt que quod petierunt, ut licet non observatis aliis ritibus, qui præcepti erant leprosis, reciperetur in castra. Non dissimile quid accedit fratribus et sororibus nostris, qui ob leviora licet quædam delicta separati sunt a castris regni cœlorum, sed sejuncti in leprosorium purgatorii, ubi misere depascuntur a lepra sua. Stemus ergo simul, nec moveamus pedem, donec redimamus; nam uti, ait Tertullianus in apologetico: *Publica omnium oratione, quasi manufacta exoptulamur, et eum facimus Deo. Sed hæc vis grata est Deo.* Sic enim defunctum nostrum ponemus non modo super cor nostrum, sed et super brachium nostrum. etc.

CONCIO XIX.

PLURES ALII STIMULI AD SUCCURRENDUM ANIMABUS PURGANTIBUS.

THEMA.

Erue eos, qui ducuntur ad mortem. Prov. XXIV.

Non dubito, quin vos præsentem, si videritis reum duci ad supplicium, et insuper liberare eum possitis a præsentem mortis tormento, salva tamen justitia, hoc ei beneficium præstaretis; tametsi forte is læsisset rempublicam, aut etiam vosmetipsos. Id enim suadet Sap. Prov. XXIV. *Erue eos, inquit, qui dicuntur ad mortem, et qui trahantur ad interitum, liberare ne cesses.* Videtur loqui de illis, qui innocentes ad mortem rapiuntur. Nihilominus tamen humana commiseratio eo usque se extendit, ut etiam nocentes vellemus a morte eripere si staret penes nos. Jam si ita comparati sumus, nonne magis sollicitos esse nos pro defunctis nostris, qui ducuntur ad sepulcrum, atque ut valde timendum ad supplicium temporarium ignis purgatorii, qui si Latinis patribus, Augustino et aliis credimus, aliis omnibus hujus mundi suppliciis terribilior est? Lacrymantur quidem pro illis, qui ad sepulcrum eos deferunt. Sed hæc lacrymæ non extinguunt ignem illum: alia media excogitanda et adhibenda sunt. Ita monet S. Ambros. in epist. ad Faustinum, lib. I. ep. IX. consolans eum super obitu germanæ. *Itaque, inquit, non tam deplorandam, quam prosequendam orationibus reor: nec mœstificandam lacrymis tuis, sed magis oblationibus animam ejus Domino commendandam arbitror.* Sed heu multi solis lacrymis se parentibus suis satis se fecisse arbitrantur: de faciendis elemosynis, procurandis sacrificiis, fundendis oratio-

nibus, quibus juventur in altera vita constituti sub flagello Dei, nihil plane curant. Grandis est hic error et inhumanus plane, qui ne invalescat in cordibus vestris adhibebimus vobis stimulos ad illum excutiendum.

I. Stimulant nos bruta animantia, quæ consortibus suis in calamitate constitutis, suppetias quantas possunt ferunt. De canibus imprimis exemplum exhibet Ludov. Granatensis, introduct. in symbolum dum scribit canem in quodam sui ordinis monasterio, alteri cani infirmo commilitoni præ foribus jacenti panem e monasterio, raptum subinde detulisse, et ad os deposuisse. Quis hoc non miretur in animali alioquin invidio raroque liberali? De piscibus aliud producit Olaus, lib. XXI. cap. I. Sunt enim in Norvegiæ oceano pisces dicti monachi, ob cuculli similitudinem, e quibus si capiatur unus, cæteri in mari tantum circa navigium excitant strepitum ac tumultum, quasi navim eversuri, ut non prius desinant quam captivus dimittatur. Seauri quoque e piscium genere, si qui ex ipsis nassam ingressi, captivi facti sunt, eam circumnatant, et captis vel caudam porrigunt, ut captivus ea mordicus apprehensa eluctari queat; vel illarum caudas apprehendunt et apprehensos extrahant, teste Æliano, lib. I. animal. cap. V. Idem charitatis obsequium deprehenderunt in elephantibus. Cum enim eorum aliquis incidit in foveam, cæteri aggeres devolunt, ramos arborum injiciunt, donec foveam, impleant sicque delapsus egressum sibi parat, teste Plinio, lib. VIII. cap. VIII. Annon hic cum S. Job exclamare possumus, cap. XII. *Interroga jumenta et docebunt te? Hebraice habetur: Interroga Behemot, h. e. elephantem.* Imitemur ergo nos hæc bruta animantia succurrere fratribus nostris delapsis in purgatorii foveam, ibidemque detentis: ac nisi id faciamus, confundunt nos. Qua de re S. August. serm. XLIV. ad frat. in eremo: *Clamat porcus, inquit, et cum clamore non cessant alii: cadit asinus et omnes eum sublevare festinant; sed clamat in tormentis fidelis, et non est qui respondeat. Ecce inhumanitas vestra, fratres.*

II. Stimulat, Ecclesia, quæ pro fidelibus defunctis commemorationem instituit animarum, in qua officium pro illis lugubri voce caneretur in templis, et missæ celebrarentur: insuper ut ad vesperam quotidie, signo campanæ monerentur fideles ad præcandum pro ipsis. Solet præterea in exequiis facere oblationes ad altare Domini, elargiri quoque in pauperes elemosynas. Omnia hæc voces quædam lamentabiles et lugubres habitus sunt, quibus Ecclesia Deum exorat pro de-

functis illis; quo modo etiam Thecutis illa funestum assumpsit habitum, eoque induta Davidem regem adiit, et pro revocando ab exilio Absalone peroravit, remque prospere effecit, II. Reg. XIV. Sunt quasi vox illius psittaci, de quo Zonaras, in Basilio imp. et Glycas, p. IV. annal. scribunt in hunc modum: « Leonem filium Basilius imp. in carcerem contruserat, quod vitæ ejus insidias struxisse diceretur; statueratque ei oculos effodere. Interim psittacus famulum quemdam Leonis sortem deplorantem et o Leo, o Leo ingemnantem forte audierat: eamque vocem sponte sua imitans identidem, o Leo, o Leo clamabat dum imperator et invitati senatores convivium agerent. Moniti igitur ex avis voce deprecatur de mensa surrexerunt, oppletique dixerunt: Ecquid avis ista nos negligentiam non accusat, qui domini nostri captivi mentionem tamdiu omiserimus, cum ipse herum suum toties et dolens clamet? Depone iram imperator et in gratiam filium accipito. Sic ira imperatoris mitigata, Leo in pristinum statum restitutus est. » Similem in modum quid sibi volunt toties resonantes et quasi plangentes pro defunctis campanæ? Quid illa in singulis missis commemoratio: *Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum N. N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis?* Quid illa omnium canonicarum horarum clausula: *Fidelium defunctorum animæ per misericordiam Dei requiescant in pace?* Nonne sunt voces, quibus monemur, ut pro captivis Dei filiis in purgatorio constrictis, Deum exoremus? Nonne redarguunt segnitiam nostram quod eorum obliviscamur? Nonne contestantur illorum calamitatem? Nonne sunt quasi lacrymæ, quibus ad compatiendum nos excitare volunt? Denique imitatur Ecclesia pantheram illam, quam refert Demetrius physicus apud Plin. lib. VIII. c. VII. cum catulos suos in foveam lapsos eripere nequivisset, jacuisse in via publica, et viatorem illic transeuntem veste prehensa leniter ad foveam abduxisse, quasi precabundam, ut sibi catulos restitueret: eoque obtento comitatam esse per silvam totam. Ita enim Ecclesia passim ingerit nobis memoriam defunctorum, qui velut ejus filii in foveam purgantis flammæ lapsi suis emergere viribus nequeunt: proponit eorum sepulera ante portas civitatum, et pagorum, ante fores templorum, ima et in ipsismet eorumque epitaphia: objicit oculis transeuntium eorum ossa in congerie, ut eos suavi hac licet horrida, nonnihil apprehensione abducat ad defuntos e scrobe purgatorii extrahendos. Quis tam inhumanus sit, ut hoc officii detrectet, et non crebras pro illis preces fundat? Certe refert illis

gratiam Ecclesia una cum extractis ejus filiis, cum ipsi aliquando simili beneficio indigerint.

III. Stimulat fructus proprius, quem inde reportamus. Dum enim defunctos e tam misero lacu eripere et cælo insere laboramus, haud dubie apud Deum comparamus nobis meritum, et ereptorum gratiam quam aliquando nobis rependunt. De priori non dubitandum si enim qui in prælio commilitonum unum salvavit vel quemcumque civem, corona civica apud Romanos donatus fuit, teste Plin. l. XXII. c. II. cur non et is, qui cæli civem, et præclarum Ecclesiæ militem e purgatorii vinculis et miseris erutum in coelestem intulit civitatem suam accipiat coronam? In prædam quasi nobis animæ illæ præpositæ sunt ut qui eas liberaverint, divitias sibi incomparabiles parent. Sunt enim margaritæ pretiosæ, quarum emendarum gratia omnia nostra venderemus, si illarum pretium satis cognosceremus. Certe cum dux Venetus in festo ascensionis Domini, projecto in mare pretioso annulo, illud sibi despondet, mox adsunt urinatores qui in profundum mare desiliunt, et annulum illum in fundo quærunt, nescio majorene periculo, an labore. Quanto pretiosiores sunt animæ illæ sanctæ! Dejectas igitur in mare purgatorii e divina justitia, tanto majore studio quærere et eximere deceret, quanto pluris sunt annulo uno, quid enim gloriosius quam fieri illarum quasi salvatorem post Christum, ministerialem? Fierive earum alterum quasi patrem? Secretarius ille Lusitaniæ regis cum in foveam nivibus oppletam una cum ipso delapsus esset, nec reperiretur aliquis, qui e toto comitatu eripere eum auderet, visus tandem a S. Xaverio, vitæ comite, extractusque est: ob quam gratiam postea ab eodem secretario non aliter ac parens maximo honore cultus fuit. In vita Xaverii, l. I. c. IX. Et si Joseph dicere potuit, Gen. XLV. « Deus fecit me quasi patrem Pharaonis, propterea quod ipsi totique ejus regno providerit de annona contra futuram famem: » quanto æquis hoc sentire poterunt qui animas illas ope destitutas, et comætu spirituali, refecerint suis oblationibus et hostiis?

De posteriore testem habemus S. August. serm. XLIV. ad frat. in eremo, ubi ait: *Oro pro defunctis, ut dum fuerint in æterna vita, pro te orare non negligant. Expectant enim nos, ut juventur per nos.* Et sane si ciconiæ et aliæ brutæ animantes norunt vicem rependere suis benefactoribus, id omittent animæ s. nobis addictissimæ? De elephantibus scribit Ælianus, l. I. de animal. cum profunda eis transeunda fossa est, unam eorum priorem in fossam descendere, et pontem quasi

æteris suo corpore exhibere, ut per ipsum transeant. Sed qua ratione ipse e luto eluctabitur? II, qui transierunt, conjunctis eum viribus apprehensum extrahunt, sic vicem rependunt. Quare si et nos persuffragia nostra demiserimus nos ad defunctos in fossam purgatorii, ut per nos quodammodo, dum eorum pœnas in dorsa nostra suscipimus, transmeent ad portum salutis: utique et ipsi nos aliquando in eodem luto hærentes sua apud Deum intercessionem eripient. Eo enim referre possumus, quod Luc. XVI. dixit Christus: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiat vos in æterna tabernacula.* Habent illi jam in cælo præparata sibi tabernacula: nec periculum est ne instar illius pincernæ Pharaonici succedentibus rebus prosperi memoriam vestri deponant: istiusmodi enim oblivio exulat a cælo.

IV. Stimulat Dei voluntas, instigans et adhortans nos ad hanc sanctam et fructuosissimam mercaturam. Ubinam vero? Luc. IX. ubi increpat servum pigrum quod pecuniam sibi commissam non dederit ad mensam, unde eam cum fœnore recepisset. Secundum Matthæum ait: *Quare non dedisti nummulariis?* Nummularii isti pauperes sunt, quibus si pro defunctis contulerimus eleemosynam, duplicem usuram facimus, succurrendo et illis et istis. Jure igitur reprehendi potest, qui ad tam lucrosam mensam depone talentum suum negligit, nummoque pretio redimere tam pretiosas animas simulque esurientes pascere non satagit. Certe Mauritius imp. graves dare pœnas debuit, quod ad decem milia suorum militum, a Chagano Hunnorum rege captorum redimere noluerit, cum nonnisi singula numismata, ac postremum singuli nummi pro singulis capitibus peterentur a Chagano; qui demum ira incensus ob indignum facinus, omnes obtruncari jussit. In pœnam hujus avaritiæ et tenacitatis Mauritius captus et Phocæ successoris traditus, quinque filios suos plecti coram se aspiciere oculis suis, ac demum ipse quoque capite minuti jussus est, Baron. an. 602. Debebat quidem hic imperator ex officio et justitia militantes sibi redimere, lytro præsertim exiguo; quod nos animabus purgatorii eo rigore non debemus: christiana tamen charitas ad hoc vehementer urget, præsertim hæredes et similes quibus defuncti eorum parentes non exigua contulere beneficia, vel aliunde ex officio ad hoc adstringuntur, qualis erat frater ille in chronicis S. Francisci, p. II. l. I. c. XXII. § III. qui suas pro defunctis preces, quas regula præscribebat, persolvit negligenter; ideoque post mortem suis apparuit se ob eam negligentiam gravibus urgeri pœnis, exsolvendis juxta

II. PARS HIEMALIS.

rigorem, dum justitiæ divinæ satisfaceret neque interim se juvari fratrum precibus et sacrificii pro se factis; quod Deus eas aliis applicuisset animabus. Atque hæc causa esse videtur cur interdum Deus emissis e purgatorio aliquibus animabus objurget viventes, qui earum obliti, vota pro iis non exsolvent, vel debita non restituant, vel sacrificia nulla offerunt. Quemadmodum enim Absalon, cum a Joab duce non posset impetrare, ut parentem sibi reconciliaret, ejusque conspectum obtineret filius, misit servos suos, qui injecto in ejus agrum igne segetem vastarent; sicque demum compulsi Joabum ad officium charitatis præstandum, II. Reg. XIV. ita quandoque Deus omittit purgantes animas ad expostulandum et petendum pro se preces merite persolvendas. Magnam expectare messem possumus, si semen orationum et eleemosynarum in agrum purgatorii injecerimus; sperare enim licebit nos ab eo vel exemptos vel brevi redemptos fore; quæ tamen spes casura est, uti metuendum, si opitulari eis neglexerimus. Dicit forsitan aliquis, non apparere istam segetem, et quam inde speramus messem. Respondeo, nec agricola, cum semen in agrum spargit, messem suam aut segetem videt; præcise enim sperat; et tamen ipsi perire potest grandine, gelu, hostili vastatione: tibi vero perire nequit, quod in agrum illum sparseris et ad mensam Dei dederis. Sed dicit quis ait S. Aug. serm. cit. ad frat. in eremo: « Ecce patrem omnibus ornatum virtutibus habeo, eum esse beatum non dubito, cur ergo orare pro eo volo? Consulo tamen, ut pro defunctis orare non desistatis. Quid ergo consulo, nisi quod dimittas incertum et teneas certum? Quid est quod est incertum, nisi quod nescis, utrum pater tuus crucietur? Multi enim fuerunt, qui reputati fuerunt et tamen in conspectu non boni, sed mali inventi sunt. Certum autem est, quod peccator fuit, licet, bonis operibus ornatus fuerit, ignoramus tamen, utrum æternam gloriam possidere meruerit. » Atque hæc causa est, cur pro omnibus etiam pie defunctis, decent nos precari, etc.

CONCIO XX.

QUIBUS MEDIIS ERIPIENDE E PURGATORIO ANIMÆ.

THEMA.

Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut a peccatis solvantur. II. Macch. XII.

A Deo, a natura insitum est hominibus, præ-

tanda esse defunctis aliqua adjumenta, ut vel gentiles, Dei veri cognitione, advertisse id videantur. Ecce enim illi tantam circa mortuos adhibere curam, ut eorum cadavera abluerunt aqua calida, oleo perungerent, coronis insignirent, toga candida exornarent, cum efferenda essent, uti fecere Romani? teste auctore ant. Rom. I. V. c. XXXIX. Cur alii, ut Æthiopes, ea gypse inducebant pieturaque exornabant referente defuncti effigiem, cippo deinde vitreo includebant, ut scribit Herodot. I. III? Cur alii cæsariem sibi detondebant et sepulcro defuncti inferebant, sicque ei parentabant, uti scribit Dionysius Halicarnassæus, in funere Virginie? Homerus Iliade XXIII. de Achille, aliique profecto videntur illis fausta imprecari, vel auxilia aliqua impetiri voluisse, quibus in altero sæculo, quid obscure et sub dubia quasi per nebulam aspiciabant, fruerentur, ut taceam vota precesque eorumdem, quibus sepultos prosequantur, dicendo: *Sit tibi terra levis*. Item Ovidius, in Didone: *Et senis Anchises molliter ossa cubent*. Cæterum nos Christiani orthodoxæ fidei melius edocti, novimus defunctos, qui in Dei gratia vitam finierunt, aliquid tamen in altero expiandum sæculo secum extulerunt a nobis adjuvari posse quatuor potissimum mediis, quæ recenset D. Greg. in epist. ad Bonifacium, eaque in ss. litteris fundata, scilicet oblationes sacerdotum, orationes piorum, jejunia, et eleemosynas; quæque a quatuor prædictis Romanorum cæremoniis, mere licet civilibus non multum ablundunt, uti videbimus.

I. Romani cadavera abluebant aqua. Nos Christiani credimus per jejunium et corporis mortificationem, pro defunctis in nos susceptam, ablui eorum labes, quas illi expiandas habeant; per jejunium enim et mortificationem purificantur corpora. Docentur hoc ex Scriptura, quæ asserit Davidem pro mortuo Saule jejunasse, cum suis usque ad vesperam, II. Reg. I. rursus pro Abner, II. Reg. III. viros Jabes Galaad pro Saule jejunium produxisse ad septem dies, I. Reg. ult. Idipsum suadet ratio. Si enim Deus Pater pœnas acceptavit quas pro humano genere liberando suscepit in se Filius ejus, mera ex charitate, cur non placeat eidem si quis amoris stimulo, subeat, luateque magis alteri decretas, ut ipsi condonentur? Nonne Dionysius tyrannus Syracus. Damonem et Pythiam, quod alter pro altero vadem mortis se obtulisset, non solum vita donavit, sed et admiratus eorum virtutem, in amicitiam recepit, apud Val. Max. I. IV. c. VII. Cur non placeat Deo hujusmodi amoris pugna, qua ex mutuo amore alter pro altero, viventes pro mortuis pœnas exsolvant? Sane Christina

illa virgo admirabilis, cum ei comes Læteris e purgatorio apparuisset, opemque ejus implorasset, dimidiam pœnarum ejus partem annuente Deo in se suscepit, modo flammis se ustulando, modo frigoribus cruciando; loco præterea, in quibus comes ille qui deliquerat, vel deliciis indulserat, uberrimis lacrymis rigando. Cui proinde comes tandem liberatus, iterum apparuit, gratiasque egit, uti refert Thomas Cantip. I. II. apum, c. LIII. rursus in ejus vita incredibilia alia, quæ pro defunctis animabus fecit tulitque Cui accedit S. Dominicus, qui ternis quotidie vicibus flagello se cæcidit; semel pro delictis propriis: iterum pro alienis: tertio pro constitutis in purgatorio. Tam sanctum autem virum frustra et sine causa sibi pœnam hanc inflixisse, nemo facile dixerit; nisi et Davidem et viros Jabes Galaad vanitatis, atque stultitiæ arguere velit.

II. Romani cadavera perungebant oleo. Hoc vero opera misericordiæ et imprimis eleemosynam designare in Scripturis sacris nemo est qui nesciat, patetque ex parabola Samaritani, qui in vulnera sauciati viatoris infudit vinum et oleum. Lenit enim et sanat vulnera, quemadmodum eleemosyna sublevat recreatque egestatem et miseras pauperum. De hac legimus Tobie, c. IV. *Panem tuum et vinum tuum super sepulturam justis constitue*. Quo fine? Ut defunctus ea fruatur? Stultum foret hoc opinari. Ergo et in usum pauperum et sacerdotum cedant, qui pro defuncto preces fundent, et recreentur eleemosyna; qua velut Christo oblata redimatur a pœnis mortuus. Ita enim S. Aug. ep. LXIV. scribit: « Oblationes pro spiribus dormientium, quas vere aliquid adjuvare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosæ, atque omnibus petentibus sine typo et cum alacritate præbeantur, neque vendantur. » Duplex hujus eleemosynæ fructus est, quia pauperes reficit, et animas purgantes redimit. Pro his enim dimittendis accipit lytrum Christus per manum pauperum, quos quasi tabellarios suos ad hoc constituat. Hi sunt velut naviculæ, quæ deferunt dona ipsis collata ad alterum sæculum juxta id Ecclesiasticus: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas*, (Chald. exponit, *super pauperes*) et post tempora multa invenies illum. Vel etiam per transeuntes aquas intelligimus ipsos defunctos, qui ut fluentes aquæ ex hac in alteram defluere vitam, juxta id Theophrasti dictum: *Omnes morimur et quasi aquæ dilabimur in terram quæ non revertuntur*, II. Reg. XIV. Mirificæ hanc doctrinam catholicam confirmat exemplum quod scribit Jo. Vascus ad annum Christi 940. de Sanctio rege legionis et Asturiarum, qui uxori Gudæ, postquam illa pro ip-

sus anima cuidam sacerdoti pellicium honestum dedisset, post mortem apparuit albis indutus vestibus, et pellicio, quod sacerdoti uxor dederat, gratias agens pro redemptione sua. Quem cum illa amplecti et retinere vellet partem pellicii abstraxit, marito ad superos abeunte. Postmodum reperta est in collato sacerdoti pellicio, deesse ei particula, quam marito Guda abstraxerat. Quis non animetur hoc exemplo ad effundenda misericordiæ viscera in defunctos illos præsertim sanguine junctos? Quam enim commutationem potest homo dare pro anima una cui par esse possit pretium? S. Rembertus episc. Bremensis, cum aliquando prope Slesvicum vidisset captivorum multitudinem, catenis vineatorum, et vœnum expositorum, advertit inter eos sanctimoniam unam, quod illa jam curvando genua, jam inclinando caput: denique intonando psalmos, quos in choro suo cantaverat, moniam se ipsi insinuasset. Itaque pro ejus liberatione complura diversa obtulit pretia. Verum omnia respuerunt barbari, qui captivam duxerant, equum, cui insidebat episcopus, utique præsentem in lytrum postularunt, quem ille libens et gaudens cum omnibus repente desiliens tradidit, virginemque eo pacto redemit, atque ad suos remisit. Ita habetur in ejus vita. O si videremus miseras purgatorii animas inter catenas suas e longe nos invocantes, se nobis inclinantes et prosternentes! Utique non equum, sed vestes etiam proprias collo detractas pro iisdem cum gaudio daremus.

III. Romani cadavera coronabant; quod etiam testatur antiquissimus auctor Tertullianus, I. de corona militis, c. X. *Nam et mortuorum est coronari*, inquit. Nos defunctos nostros orationibus coronamus. Certum enim repetitarum precum quasi ferrum componimus, quod et coronam appellamus, idque defunctis imponimus, Deum precando, ut exhibitio quasi libello supplici remittat pœnam miseris illis. Universalis est enim illa ejus promissio, Matth. XVIII. *Dico vobis, quia si duo consenserint ex vobis super terram, de omni re, quæcumque petierint, fiet illis a Patre meo*. Jam ergo cum pro defunctis, tota et tam frequenter oret Ecclesia, quomodo non audietur? Theophrasti illa, cum a Joab subornata lugubrem induisset habitum et quasi filio suo, in vitæ periculo constituto, gratiam a rege David flagitasset, demumque aperte pro Absalone ab exilio revocando preces devovisset, non difficulter audita fuit, II. Reg. XIV. Qua ergo ratione repulsam patietur Ecclesia toties lugubri habitu supplicans pro relegatis illis Dei dilectis filiis? Ad hæc clare testantur sacræ litteræ, has preces Deo acceptas neque

irritas esse, II. Mach. XII. *Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur*. Si sancta, ergo Deo placita: si salubris, ergo non inanis aut infructuosa. Unde S. Chrys. ses. III. in ep. ad Phil. ait: « Juvemus istos (defunctos) adhortemur et alios, pro illis orent. » « Audi quid Deus dicat: Protegas civitatem istam propter me et propter David servum meum. (IV. Reg. XIX.) Si memoria dumtaxat justis tantum valuit, quando et opera pro tali fiunt, quid non poterunt? Non frustra ab apostolis sancitum est, ut in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiteorum qui hinc discesserunt. Noverunt illis multum hinc emolumenti fieri. Stante siquidem universo populo, manus in cœlum extendente, cœtu item sacerdotali venerandoque posito sacrificio, quomodo Deum non placemus pro istis orantes? » Sic August. Exemplum scribit collector speculi de puero, quem vidit quidam episcopus aureo hamo et filo argenteo piscantem, et extrahentem e stagno speciosissimam mulierem, quam postea cognovit fuisse matrem illius pueri, qui pro anima matris suæ orationem Dominicam cum psalmo *Miserere*, recitaverat. Hoc hamo extraxit e purgatorio mater Gundesindi, Compostellani præsulis filium, interposito D. Jacobi apostoli præsidio, cum ei in templo ejusdem s. apostoli responsum fuit: *Scias filium tuum hac nocte ad electorum societatem admissum fuisse*, apud Jo. Vascum in chronolog. Hispan. ad annum 920. Taceo alia plura.

IV. Romani suorum cadavera toga candida induebant ad rogum efferenda. Nos eos in sacrificio altari, toga Christi candidissima exornamus, dum in persona Filii Dei innocentissimi, pro nobis mortui, Deo repræsentamus velut membra ejus, ut quemadmodum Isaac benedixit Jacob filium, indutum odorifera veste primogeniti sui Esau: ita Deus benedicere dignetur mortuo fideli, velut fratri Christi juniore, amoris sui primogeniti, Christi, propter ejus vestem, meritum odorem infinitorum redolentem. Neque hoc commentum nostrum est, sed habetur, II. Macch. XII. ubi Macchabæus duodecim millia drachmarum misit Jerosolymam, ad offerendum pro interfectis militibus, penes quos reperiebantur ut id, quod factum erat, delictum oblivioni traderetur. Ex quo colligit S. Augustinus, I. de cura pro mort. c. I. multo magis juvari animas sacrificio corporis Christi, si in veteri lege juvabantur sacrificiis pecorum vel pecuniarum. In illo enim mittimus Deo Patri Filium suum, velut munus acceptissimum, quo justitiam ejus placemus. Sane Pilatus reconciliavit sibi Herodem, quando misit ei, quem